




De  
**A. Persii Flacci elocutione**  
quaestiones

scripsit


H u g o K ü s t e r .



**Pars III.**



Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Königlichen  
Progymnasiums in Löbau Wpr.



Löbau Westpr. 1897.

M. Hoffmann's Buchdruckerei.

1897. Progr.-No. 33.



1

## Caput VI.

### De praepositionibus.

Jam ad praepositiones transeunti mihi videtur monendum esse, Persium esse dignum, cuius in praepositionibus usurpandis usus accuratius quam usque ad hoc tempus factum est, pertractetur, quippe qui maxime singularis atque proprius sit.

Quod ad dispositionem prioris partis, multum debeo libello Francisci Krebs, qui inscribitur: „Die Präpositionen bei Polybius.“ Würzburg. 1882, et dissertationi Francisci Krumbholz „de praepositionum usu Appiano“, Jenae. 1885.

Atque in hoc capite conscribendo rem ita institui, ut disserterem deinceps in universum de frequentia, de usu adverbiali, de collocatione, de repetitione, de coniunctione cum aliis vocabulis, de significatione praepositionum apud Persium.

### De frequentia praepositionum.

Prorsus desunt apud Persium hae praepositiones:

- a) cum accusativo coniunctae: apud, adversus, citra, cis, erga, contra, intra, extra, infra, juxta, penes, pone, praeter, propter.
- b) cum ablativo: absque, coram, clam, prae.
- c) cum accusativo et ablativo: super.

Inveniuntur igitur in Persii satiris hae praepositiones:

- a) accusativo iunctae: ante, ad, circum, circa, inter, ob, post, per, prope, subter.
- b) ablativo: a, de, cum, e, sine, tenus, pro, sub.
- c) accusativo et ablativo: in.

Omnes praepositiones a Persio usurpatas ratione singularum casuum habita proponamus:

	Accusativos	—	Ablativos sibi iungit
1. in	23		38
2. ad	11		—
3. cum	—		14
4. de	—		14
5. e, ex	—		11
6. sub	—		8
7. prope	2		—
8. ob	3		—
9. per	3		—
10. ante	4		—
11. a, ab	—		8
12. inter	5		—
13. sine	—		3
14. pro	—		1
15. circa	1		—
16. circum	1		—
17. post	1		—
18. subter	1		—
19. tenus	—		1
	<hr/>		
	55		98
	<hr/>		
Summa:			153.

Accedunt tredecim praepositiones, quae in usum non veniunt, sed adverbialiter dictae reperiuntur, ut Persius omnino 166 praepositiones usurpaverit in suis sex satiris, quarum universus numerus versuum est 664.

Invenimus, si editionis O. Jahnii contextum secuti rationem arithmetica facimus, in quinquagenis versibus apud Persium 12 praepositiones, quem numerum fere etiam apud alios poetas facile reperias.

Quare liceat mihi afferre nonnullos poetas, quorum libros aut ad umbilicos pervolvi aut magna ex parte perlustravi. Exstant autem in quinquagenis versibus

apud Horatium	11—12	praepositiones
Juvenalem	10	”
Ovidium	15	”
Vergilium	13—14	”
Catullum	10—11	”
Tibullum	10	”
Propertium	10	”

### De usu adverbiali praepositionum.

E toto numero praepositionum a Persio adhibitaram excipiendae sunt tredecim, quae, ut supra diximus, adverbialiter dictae sensuque vulgari in Persii satiris inveniuntur, ut

**ante** (= vorher, zuvor) 2, 33: et lustralibus ante salivis expiat; 5, 115: paulo ante, et 142. Cf. Hor. Sat. I, 3, 92. Tib. I, 1, 13. II, 5, 98. 1, 24.

**contra** (= entgegen) 5, 96: stat contra ratio.

**extra** (= auswärts, draussen) 1, 7: nec te quaesiveris extra. 1, 113: pueri, sacer est locus, extra meite?

**iuxta** (= unmittelbar daneben) 6, 52: exossatus ager iuxta est; cf. Verg. Aen. VI, 605. Ovid. Met. VIII, 809.

At Heinrichium, qui ad hunc Persii versum p. 169 adnotat: „Juxta heisst daneben, hier soviel als paene“, non probo, quod ea notio sententiae huius loci non convenit neque usquam, quantum memini, huic voci subiecta est. Idem vir doctus mea quidem sententia iterum errat, cum „exossatus ager“ interpretatur: „ager exhaustus usque ad ossa“, nam, ut praetermittam, hoc adjectivum de animalibus quidem bene, de agro omnino dici non posse, „ager exossatus“ nihil aliud intelligendus est nisi „ager probe cultus et purgatus a lapidibus“; cf. Schlüter, Quaest. Pers. p. 47. 48

**prope** (= beinahe, fast) 6, 60: et mihi ritu

Manius hic generis prope maior avunculus exit.

**supra** (= oben) 5, 118: quae dederam supra relego.

**subter** (= unten) 3, 41: purpureas subter cervices terruit.

**clam** (= geheim, heimlich) 1, 119: nec clam nec cum scrobe, nusquam? Cf. Tib. II, 1, 84; Ovid. rem. am. 694.

**ultra** (= über -- hinaus, voraus) 5, 69: et semper paulum erit ultra; 3, 15: O miser inque dies ultra miser, quo de versu infra.

### De collocatione praepositionum.

De ratione, qua Persius praepositiones collocaverit, haec habeo, quae moneam.

Notum est, scriptores et orationis solutae et poesis praepositiones postponere solere, quae forma anastrophe vocatur. Videamus nunc, quae et qualia anastrophes exempla in praepositionibus apud Persium inveniantur.

Praepositionibus, si coniunctae sunt cum substantivo et adjectivo vel pronomine vel participio ab eis pendente, Persius saepe locum inter adjectivum vel pronomem vel participium praecedens et substantivum adsignat, velut 1, 33. 124. 131. 2, 15. 67. 4, 28. 5, 27. 35. 144. 6, 33. 44; cuius generis exempla apud omnes scriptores frequentissima sunt. Qua in praepositionum collocatione saepe fit, ut praepositio seiuncta sit aut ab adjectivo praecedente aut ab substantivo insequente interpositis aliis vocabulis ut

1, 16: et natalicia tandem **cum sardonyche** albus.

1, 89: cantas, cum **fracta te in trabe** pictum.

3, 6: et **patula** pecus omne **sub ulmo** est.

3, 34: demersus **summa** rursus non bullit **in unda**.

3, 72: et **humana** qua parte locatus es **in re**.

3, 113: **tenero** latet ulcus **in ore**.

Porro 5, 40. 96. 117. 166.

Jam multo rariores sunt loci apud Persium, ubi praepositio inter substantivum praecedens et attributum insequens ponitur; qua in collocatione idem saepe numero accidit, quod supra monuimus, ut praepositio seiungatur aut a substantivo aut ab adjectivo aliis vocabulis interiectis. **Exempla congeSSI haec:**

- 1, 53: non quidquid denique **lectis**  
scribitur **in citreis**?
- 2, 51: **fundo**, suspiret, nummus **in imo**.
- 2, 56: fratres inter aenos.
- 5, 70: temone sub uno.
- 5, 165: limen ad obscoenum.
- 6, 11: pavone ex Pythagoreo.
- 6, 25: messe tenuis propria.

Atque apud poetas praepositiones eaeque disyllabae frequenter postponuntur; cuius generis anastrophe exempla nonnulla etiam ex aliis poetis afferre mihi liceat.

Horat. Carm. I, 2, 34: quam circum. II, 16, 33: te circum. III, 3, 11: quos inter. Epod. II, 38: haec inter. VII, 3: campis atque Neptuno super. XII, 23: aequales inter. XVI, 40: Etrusca praeter. Sat. I, 1, 47: venales inter, etc.

Verg. Aen. I, 32: maria omnia circum. II, 792. VIII, 279. 442. XI, 149. Georg. II, 345 alia.

Ovid. Metam. X, 49: umbras recentes inter. 86: collemque super; pronomibus autem praepositionem saepissime postpositam apud hunc poetam legimus.

Sed apud Persium eiusmodi anastrophe hoc unum exemplum exstat

4, 43: ilia subter caecum vulnus habes.

Inter duo substantiva, e quibus unum alteri appositum est, Persius semel praepositionem collocavit

5, 80: Marco sub iudice palles?

Cf. Verg. Aen. VIII, 292: rege sub Eurystheo. Ovid. Metam. XI, 156: iudice sub Tmolo; saepius apud Tacitum, ut oppido a Canopo, montem apud Erycum, Arcade ab Evandro, Ferentino in oppido etc.

Similiter mediam praepositio tenet locum inter substantivum et genetivum ab eo pendentem

6, 56: clivumque ad Virbi; cf. Verg. Aen. IV, 257: litus arenosum ad Libyae. VII, 234. Ovid. Metam. I, 35. IV, 507. VI, 340; saepius in Taciti Annalibus.

### De repetitione praepositionum.

Pauca habeo, quae moneam, nam quattuor tantum locis Persius repetit praepositionem, quae est forma anaphorae; sunt autem hi:

1, 67: sive opus in mores, in luxum, in prandia regum.

1, 39. 40: nunc non e manibus illis,  
nunc non e tumulo fortunataque favilla  
nascentur violae?

5, 41. 42: tecum etenim longos memini consumere soles  
et tecum primas epulis decerpere noctes.

2, 36: nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.

Neque praetereunda esse videtur conjectura, quam in hoc versu Burmeister in *Observ. Pers.* p. 18 proponit, cum dicit, ut praepositio eleganter secundae pronuntiati parti, non primae addatur

1, 131: nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas,

ita hoc loco scribi debere:

nunc Licini campos, nunc Crassi mittit in aedes.

Cum autem omnes codices praepositionem „in“ post vocabulum „Licini“ exhibeant, non est mea quidem sententia, cur haec lectio mutanda sit.

Sed poetae praepositionem interdum secundae demum enuntiati parti addere solent, sicut Hor. *carm.* III, 25, 2: quae nemora aut quos agor in specus.

Catull. *carm.* 33, 5: cur non exilium malasque in oras. Ovid. *Metam.* VII, 708:

Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore;  
XII, 124: inde velut muro solidaque a caute repulsa est.  
Verg. *Aen.* VI, 692: quas ego te terras et quanta per aequora vectum.

At saepissime Persius alia verba iterare\*) solet velut

\*) J. Sorn, *die Sprache des Satirikers Persius*. Laibach 1890 p. 19.



- 1, 11: tunc tunc — ignoscite, nolo.  
 1, 120: vidi, vidi ipse, libelle.  
 2, 49. 50: iam crescit ager, jam crescit ovile  
 iam dabitur, iam iam!  
 3, 85: hoc est, quod palles? cur quis non prandeat,  
 hec est?  
 5, 1. 2: Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,  
 centum ora et linguas optare in carmina centum.  
 5, 110: iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes.  
 5, 174: hic hic, quod quaerimus, hic est.  
 6, 68. 69: nunc, nunc impensius ungue,  
 ungue, puer, caules.  
 6, 78. 79: iam triplex, iam mihi quarto,  
 iam decies redit in rugam.  
 Porro 1, 36—39. 53. 54. 111. 2, 19. 68. 3, 23. 4, 23. 27.  
 6, 22. 58. 59.

#### De coniunctione praepositionum cum aliis vocabulis

**Que** particula cum in universum primo enuntiati vocabulo adnecti soleat, tamen, si primum illud enuntiati vocabulum praepositio est, plerumque substantivo ab ea pendenti adiungitur.\*)

Persaepe tamen particula **que** praepositionibus monosyllabis adnexa est. Atque Persius in satiris suis hanc particulam tantum praepositionibus „in“ quater et „do“ semel addidit:

- 6, 55: deque avia nihilum super est.  
 3, 15: o miser inque dies ultra miser.  
 4, 42: caedimus inque vicem praebemus crura sagittis.  
 5, 111: inque luto fixum possis transcendere nummum.  
 3, 11: inque manus chartae nodosaque venit harundo.

Hoc loco Persius poetica ratione usus est, cum coniunctionem „que“ non ad id verbum adiungeret, quod cum verbis praecedentibus copulari debet i. e. „inque manus

---

\*) Draeger, Hist. Synt. II p. 32 sqq. Krebs, Antibarbarus der lateinischen Sprache p. 975.

chartae“ pro „chartaeque in manus.“ Eiusmodi loci apud poetas non rari sunt, ubi particulae „que, ve, ne“ non ei vocabulo adhaerent, quod superioribus additur.

Ac commemorari potest, apud Horatium unum tantum locum esse, in quo particula „que“ praepositioni „in“ adhaeret :

Sat. I, 3, 141 : inque vicem illorum patiar delicta libenter.

Pro usitatioe „inque vicem“ bis legitur „inque vices“ apud Ovidium: Met. IV, 42 et XII, 161.

Sequitur nunc, ut locos afferam, ubi praepositionalis verborum constructio a Persio ponitur pro adverbio, quo vis antecedentis adverbii augeatur, gravior fiat.

Spectandi autem sunt hi loci :

1, 119 : men muttire nefas? nec clam, nec cum scrobe nusquam?

2, 9 : illa sibi introrsum et sub lingua murmurat.

Hoc loco annotandum est, Hermannum „murmurat“ scripsisse, cum introrsum sufficere putaret, quamquam „immurmurat“, optimis codicibus comprobatum, fortius et expressius dictum est; quam lectionem etiam Jahnius recepit

5, 129 : sed si intus et in iecore aegro nascuntur domini.

Jam afferantur loci, in quibus Persius praepositionalem locutionem pro adverbio usurpavit.

1, 64 : ut per leve severos effundat iunctura unguis?

Hic „per leve“ idem ac „leviter“ vel „propter levitatem“ significat. Quin illud Persianum „per leve“ Horatianae imitationi sit tribuendum, dubium non est, cf. Hor. Sat. II, 7, 86. 87 :

Fortis, et in se ipso totus, teres atque rotundus,  
Externi nequid valeat per leve morari,  
quamquam locus Persianus est de carminibus perpolititis, Horatianus de virtute omni ex parte perfecta.

3, 24. 25 : udum et molle lutum es, nunc nunc prope-  
randus et acri

figendus sine fine rota; cf. Hor. Sat. II, 7, 107.

3, 30: ego te intus et in cute novi; nos dicimus: innen und aussen, d. h. durch und durch.

Semel dictio praepositionalis a Persio adhibita est pro adjectivo

3, 25: purum et sine labe salinum;

hoc quoque loco vis prioris adjectivi locutione praepositionali augetur.

Semel denique Persius poetica ratione praepositionem adverbialiter dictam et adjectivo additam pro gradu comparativo posuit

3, 15: o miser inque dies ultra miser = miserior.

### De praepositionum significatione.

Quoniam de praepositionibus a Persio usurpatis in universum diximus, nunc earum significationes — ea enim erat extrema pars, de qua disserere nobis propositum est — si placet, explicemus. Qua in re non omnes omnium praepositionum notiones, quae sunt communes Persio cum ceteris scriptoribus Romanis exponendas esse putavi, sed imprimis habendam rationem earum, quae a consuetudine sermonis latini abhorrerent.

Atque quaestiones meas ita institui, ut primum earum praepositionum usum illustrarem et de vi significationeque dissererem, quae cum accusativo junguntur, deinde, quae ablativo adduntur, tum, quae accusativo et ablativo, i. e. „in“, quae praepositio sola cum utroque casu coniuncta in Persii satiris legitur.

Priusquam fusius et copiosius significationes praepositionum tractem atque perlustrem, pauca sunt dicenda de sex praepositionibus, quibus semel tantum Persius usus est; sunt enim hae: circa, circum, post, pro, tenus, subter, e quibus tres: circa, circum (= um), subter (= unter) sensu locali et vulgari leguntur

1, 32: cui circa umeros hyacinthia laena est.

Pro „hyacinthia“ legitur apud Hermannum „hyacinthina“ et apud Heinrichium „tyrianthina.“\*)

\*) Des Aulus Persius Flaccus Satiren berichtet und erklärt von Carl Friedr. Heinrich, Leipzig 1844 p. 84.

1, 117: et admissus circum praecordia ludit.

4, 43: ilia subter caecum vulnus habes.

At „subter“<sup>(\*)</sup> ablativo iunctum cum non nisi apud poetas et raro quidem inveniatur, apud Persium deest, sed cf. Catull, c. 65, 7: subter litore et Verg. Aen. IX, 514: subter densa testudine.

Temporali significatione duae praepositiones ponuntur: post (= nach) 1, 134: post prandia Calliroen do, et tenus (= bis zu) 6, 25: messe tenus propria vive. Hoc loco Persius nimiam rerum futurarum curam et nimium divitiarum studium vituperat; idem vitium Horatius castigat Ep. II, 2, 160.

Restat, ut praepositionem „pro“ afferam, quae vulgari sensu (= für) legitur

1, 30: Ten' cirratoram centum dictata fuisse  
pro nihilo pendas?

His versibus Persius affirmat, se admirationem turbae non captare neque optare, ut magister satiras suas in ludis dictet, cf. Hor. Sat. I, 10, 74.

Sed ut jam ad absolvendum meum propositum aggrediar, quae de praepositionibus accusativo iunctis observavi, proferam.

Atque praeponantur prima verba viri docti O. Schüssler in disputatione sua „de praepositionum „ab, ad, ex“ apud Ciceronem usu“: „Omnis de praepositionibus quaestio proficisci debet ab initio loci.“

### Ad.

Praepositio „ad“ habet localem sensum significatque in universum (= hin — zu, nach). Hac praepositione igitur extrema res indicatur et omnis directio terminatur. Atque ad directionem ad aliquem locum versus exprimendam haec vox a Persio his locis usurpatur:

Prol. 7: ad sacra vatam carmen adfero nostrum.

5, 126: I puer et strigiles Crispini ad balnea defer.

5, 131. 6, 56. 1, 9.

\*) Draeger, hist. Syntax I. p. 621.

Eadem significatione Persius praepositionem „ad“ bis per ellipsin posuit

3, 30: ad populum phaleras!

5, 141: ocius ad navem!

Quae figura rhetorica in aliis praepositionibus apud Persium non invenitur.

Nonumquam indicat praepositio „ad“ statum sine significatione motus alicuius, h. e. vicinitatem et propinquitatem apud aliquem locum; qua altera notione locali (= an — auf, in) „ad“ in Persii satiris duobus locis legimus

5, 165: an rem patriam rumore sinistro

limen ad obscoenum frangam? cf. Hor. Sat. II, 3, 19. et

4, 28: quandoque iugum pertusa ad compita figit.

His verbis Persius significat quietem instrumentis in loco sacro suspensis et consecratis, cf. Hor. Ep. I, 1, 5.

Insolens est, quod legimus

5, 123: tris tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli.

Hic Persius „moveri“ = sich bewegen i. e. tanzen cum praepositione „ad“ conjungit pro „saltare cum acc.“, ut Hor. Sat. I, 5, 63. Neque vero illud est praetermittendum, a Persio illum inusitatum usum loquendi ex Horatio adhibitum esse, nam cf. Hor. Ep. II, 2, 125, quo loco habet verbum movendi significationem, quae nostro „pantomimisch darstellen“ respondet.

Restat, ut afferam

3, 31: non pudet ad morem discincti vivere Nattaе,

ubi Persius pro usitato ablativo mero vel pro praepositione „ex“ vocabulum „ad“ adhibet. At compluribus aliis locis verbum vivendi cum ablativo simplici constructum legimus:

2, 7: aperto vivere voto.

4, 43: vivitur hoc pacto.

5, 53: nec voto vivitur uno

5, 104: tibi recto vivere talo ars dedit.

Atque monendum est, Persium verbo vivendi saepissime in satiris suis usum esse, nam praeterea invenitur id verbum constructum diversum in modum in his versibus: 1, 9. 61. 104. 3, 62. 67. 4, 17. 5, 84, 139, 152. 6, 2. 25.

**Inter.**

Pergamus ad praepositionem „inter“, quae quinques apud Persium reperitur. Hanc vocem sensu temporali (= unter, während) bis adhibet

1, 30: Ecce inter pocula quaerunt

Romulidae saturi, quid dia poemata narrent,  
qui versus facile comparantur cum Horatianis (Ep. II, 1, 109), et

3, 100: sed tremor inter vina subit, cf. Hor. Ep. I, 7, 28  
carm. III, 6, 26.

Atque verba illa, quibus Persius hominem luxuriae deditum, quem coenantem mors occupat, depingit, memoriam afferunt illorum apud Horatium (Ep. I, 16, 21 sqq.)

Bis quoque vocabulum „inter“ sensu locali (= unter zwischen) in Persii satiris legitur

5, 189: Dixeris haec inter varicosos centuriones, et

4, 11: rectum discernis, ubi inter\*) curva subit,  
cf. Hor. Ep. II, 2, 41, ubi item is homo sapiens appellatur, qui scit, „curvo dignoscere rectum.“

Semel apud Persium legitur „inter“ pro genetivo, qui dicitur partitivus,

2, 55: nam fratres inter aenos

somnia pituita qui purgatissima mittunt. Cf. Draeger, hist. Synt. I, p. 566.

**Ante.**

De hac praepositione pauca sunt dicenda. Bis enim „ante“ a Persio sensu locali (= vor) ponitur, 1, 74: ante boves et 5, 66: udas ante fores, cf. Hor. carm. III, 10, 3: ante fores, eadem verba de eadem re. Atque quod Persius his versibus dicit, adolescentem vinolentia et nocturna comissione dedecori esse cognatis, id illustratur ab Horatio Sat. I, 4, 48 sqq.

Bis quoque „ante“ vi temporali (= vor) legitur 4, 5: ante pilos i. e. antequam pili venerunt et 4, 15: ante diem.

\*) Draeger, hist. Syntax I, p. 568: „Sehr selten vor substantivierten Adjectiven und Partizipien im Plural des Neutrums.“

**Ob.**

Praepositio „ob“ ter apud Persium eaque sensu causali (= wegen) in sexta tantum satira invenitur 6, 16: ob id; 44: insignem ob cladem; 48: ob res egregie gestas.

**Per.**

Praepositio „per“, qua Persius item ter tantumque in prima satira utitur, sensu translatico (= wegen) legitur 1, 110: per me equidem (= meinetwegen).

Quod attinet ad localem notionem, observandum est, praepositione „per“ non modo significationem transeundi per aliquod spatium vel corpus, sed etiam longe lateque expandendi atque diffundendi super aliquod spatium exprimi. Quo sensu locali (= auf, in) legimus „per“ 5, 81: trossulus exsultat tibi per subsellia levis, cf. Verg. Aen. 5, 837: fusi per dura sedilia; 3, 631: iacuitque per antrum; 8, 82: per silvam procubuit.

De tertio loco 1, 64: ut per leve severos etc. jam supra dictum est.

**Prope.**

Extremum est, ut commemorem praepositionem „prope“, quae bis tantum a Persio vi locali (= neben, nahe bei) usurpatur 5, 70: nam quamvis prope te, et 4, 34: est prope te ignotus, cubito qui tangat; quin his verbis Persius Horatium sit imitatus, non dubium est, cf. Hor. Sat. II, 5, 42.

Disputetur nunc de praepositionibus cum ablativo coniunctis. Priusquam ad usum harum praepositionum illustrandum aggrediar, illud monendum videtur, praepositiones ablativo iunctas multo magis a Persio in satiris suis adamas esse quam praepositiones accusativo additas, nam — excepta praepositione „in“ — hi duo casus e praepositionibus suspensi cum inter se comparantur, positos esse videmus apud Persium duo et triginta accusativos et unum et sexaginta ablativos, ut, si ad arithmeticae artis leges exprimere volumus, ratio horum casuum efficiatur 1:2.

**Cum.**

Ac primum quidem praepositione „cum“ comitatus societasque exprimitur. Quo vulgari sensu (= mit, mit-samt) legitur, 5. 41. 42 cf. Hor. carm. II, 7, 6 sq.

Similem vim habet „cum“ his locis, ubi significat (= bei, in), ita ut idem valeat atque „in“ ablativo vel „apud“ accusativo iunctum, quam significationum omnibus temporibus usitatam fuisse satis est notum:

3, 81; 4, 52 cf. Hor. Sat. II, 7, 112.

5, 12; cf. Hor. Sat. I, 9, 10.

Saepissime vocabulo „cum“ exprimitur, aliquid esse vestitum, armatum, ornatum, praeditum aliqua re; hoc sensu legitur apud Persium 5, 166. 186; 4, 30 cf. Hor. Sat. II, 2, 17; utroque enim loco tenuitas victus significatur.

At hic versus documento est, Juvenalem, qui Persium neglexisse videtur, interdum illius verba suis expressisse vel certe ante oculos habuisse cf. Sat. 14, 153. Ad hanc observationem confirmandam liceat mihi nonnullos alios locos afferre, in quibus offendi: sunt enim hi:

Pers. 2, 7: aperto vivere voto. Juv. 6, 18: aperto viveret horto.

„ 1, 26: usque adeone. „ 10, 201: usque adeo.

„ 1, 98: quidnam igitur. „ 4, 130: quidnam igitur.

„ 1, 46: rara avis. „ 6, 165: rara avis.

„ 5, 153: quod loquor inde est. Juv. 6, 612: quod desipis, inde est.

„ 1, 130: cf. Juv. 10, 101.

„ 1, 29: cf. „ 10, 167.

„ 6, 39: cf. „ 3, 81.

Sed redeat oratio, uude digressa est.

Temporalis notio (= gleichzeitig mit) inest in 6, 39. Insolentius Persius „cum“ posuit, ubi melius „in c. abl.“ expectes 1, 119. Semel eleganter adhibetur a Persio praepositio „cum“ pro coniunctione „et“

1, 124: Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,  
pro „et praegrandem senem“. Cuius generis poetice loquendi multa exempla apud Ovidium exstant: Metam. 1, 56; 2, 270; 1, 217; 2, 257; 4, 562. 735 alia.



Neque minus rara est haec poetica ratio dicendi apud Horatium, ut carm. I, 1, 31; 12, 44; 19, 15; 24, 4; III, 1, 36; 3, 24; 17, 16; 18, 12; 19, 20; 29, 3 etc.

Quod attinet ad hunc Persianum versum, nobis non dubium esse poterit, quin senex ille nemo alius intelligatur nisi Aristophanes, si cum his verbis comparemus Hor. Sat. I, 4, 1 sq.

Unum exemplum (1, 16) in Persianis satiris invenitur, in quo praepositio „cum“ causalem fere vim induisse videtur.

Notemus denique

5, 139: si vivere cum Jove tendis,  
ubi „cum“ idem significat atque „ut Jupiter vult“  
vel „ad voluntatem Jovis“ cf. Heinr. p. 158.

### De.

Jam pergamus ad praepositionem „de“, quae quinquesdecies apud Persium legitur.

Ac primum quidem hac praepositione exprimitur, rem vel personam ex superiore loco in inferiorem decedere vel removeri, quod nos dicimus (von — her, von — herab). Qua locali et principali significatione invenitur 2, 67; 5, 92 cf. Hor. Ep. I, 14, 4. 6, 30 cf. Hor. Epod. 10, 19 sq.

Non raro praepositio „de“ ponitur pro „ex“, sicut apud Persium 3, 83. 92; 1, 109; 2, 7. 71; 5, 104 cf. Hor. Ep. II, 1, 80.

Translata notio (= über, in Betreff) inest in 1, 55 et 2, 18.

Origo atque genus vocabulo „de“ exprimitur 3, 77.

Similiter temporali notione praepositionem „de“ praeditam legimus 6, 55.

Semel (6, 31) Persius „de“ usurpat ad totum significandum, de quo quid demitur.

Notetur denique locus, ubi constructio verborum praepositionalis in adverbii vim abiit 1, 33: balba de nare locutus, quod respondet nostro „näselnd sprechen“. Non dubium est, quin in hoc versu Persius imitatus sit Horatium, cf. Sat. II, 3, 274.

**Ex.**

Haec praepositio notat motum, qui fit alicunde nec refert, utrum motus fiat ex aequo et plano an e superiore vel inferiore loco. Qua principali ac locali significatione reperitur 1, 38. 39; 2, 63; 3, 101.

Translate legitur „ex“ 6, 57.

Materies, ex qua quid sit confectum, indicatur vocabulo „ex“.

6, 10. 11: postquam destertuit esse

Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo;

hi versus ad id Ennii somnium sunt referendi, quod Horatius quoque tetigit Ep. II, 2, 50–53.

Ad normam regulamque denotandam praepositio „ex“ adhibetur 3, 62.

Pro genetivo, qui dicitur partitivus, ponitur „ex“ 6, 53.

Pro usitatore „de“ legimus „ex“ 5, 136 cf. Hor. Ep. I, 6, 53 sqq.

Similiter pro meliore „in c. abl.“ vel pro mero ablativo Persius „ex“ posuit 1, 90 cf. Hor. Sat. I, 5, 90.

Saepe conjungitur „ex“ cum neutris adjectivorum pro adverbis, ut 1, 44.

**Ab.**

Sequitur praepositio „a“ vel „ab“.

Forma, quae est „abs“, non usus est Persius.

Ac praepositiones „ab“ et „ad“ inter se respondent, nam vocabulo „ab“ locus denotatur, unde proficiscimur, vocabulo „ad“, quo tendimus. Rectissime iudicat Schüssler p. 5: „Quamvis multae significationes praepositionis „a“ distinguantur, cognatae sunt omnes unaque continentur origine, qua unde quid oriatur vel cui quid rei adhaeserit vel quam attigerit indicatur.“ Sed inter praepositiones „ab“ et „ex“, quae fere eandem vim in verbis movendi habent, hoc discrimen sermo latinus esse voluit, ut illa non tam definite et accurate quam in universum describat eam partem, unde motus fit, haec vero interiorum quasi quem rei locum denotet, ex quo provehitur motio vel ef-

fectus editur. Atque illo vulgari ac proprio sensu praepositio „a“ legitur 1, 58; 5, 83; 6, 42 cf. Hor. Sat. I, 4, 25. 5, 46: consentire dies et ab uno sidere duci; in hoc versu soloeccismus est. Quod ad sensum attinet, Persius imitatus est Hor. *carm.* II, 17, 17—24.

Pro meliore „de“ legimus „a“ 5, 160, item pro „ex“ 5, 4 cf. Hor. Sat. II, 1, 15 sq, quem Persius aperte imitatus est.

Quoniam praepositio „a“ inceptum motus et vim efficiendi notat atque hominem significat, a quo actio aliqua proficiscitur, inprimis post verba passiva vel passiva vi utentia adhibetur, sicut apud Persium 6, 43; 2, 70 cf. Hor. Sat. I, 5, 65.

### Sub.

De hac praepositione, quae novies in Persii satiris exstat et cum ablativo tantum a poeta coniungitur, nunquam cum accusativo, pauca commemoranda sunt. Localis notio (= unter) inest in his versibus 5, 40. 70; 2, 9 cf. Hor. Ep. I, 16, 59 sq. 2, 11 cf. Hor. Sat. II, 6, 10—12. 3, 6 cf. Hor. *carm.* III, 29, 21. 5, 54 cf. Hor. Sat. I, 4, 29 et Verg. Aen. 1, 431. Ecl. 2, 13. 5, 117 cf. Hor. Sat. II, 1, 64 et de a. poet. 437. 5. 144 cf. Hor. Ep. II, 2, 535 sq.

Restat 5, 80: Marco sub iudice palles; hic „sub“ locali vi pro ablativo absoluto positum est cf. Hor. Ep. I, 16, 42 sq. et de a. poet. 78.

### Sine.

De hac praepositione pauca monenda sunt, nam ter tantum atque sensu vulgari a Persio usurpatur 3, 24 cf. Hor. Sat. II, 7, 107. 6, 16 cf. Hor. de a. poet. 422.

Tertio loco vocabulum „sine“ cum substantivo coniunctum pro adverbio positum est 3, 25: purum et sine labe salinum, cuius generis dicendi permulta exempla inprimis apud Ovidium inveniuntur: *Metam.* 1, 20. 26. 87; 2, 256. 376; 4, 638 (ex); 5, 249; 6, 304; 7, 284; 8, 720 (de); 9, 136 (ab); 11, 429; 13, 204 (cum); 15, 82. 383 alia. Atque eodem modo Horatius eius animum aequum

et tranquillum describit pluribus locis, qui sorte sua acquiescit: *carm.* II, 16, 14. *Sat.* I, 3, 13; II, 7, 30.

### In.

Jam demonstrabo quid sit statuendum de praepositionis „in“ usu Persiano.

a) „in“ cum accusativo coniunctum.

Haec praepositio, quae vicies in Persii satiris exstat, habet et localem et temporalem sensum notatque utraque significatione locum vel vestigium temporis, quo tendimus et quo cogitationes actionesque nostras dirigimus. Atque „in c. acc.“ dirigendi condicionem significat. Ea autem cum in verbis movendi, veniendi, eundi maxime sensibilis appareat, ab his ordiendum est. Post huius generis verba ad introitum in interioram partem spatii vel rei denotandum praepositionem „in“ apud Persium legimus 1, 81; 3, 11. 83; 6, 79; 4, 48; 2, 47; 4, 23: ut nemo in sese temptat descendere; hic versus et sequentes sunt de iis, qui sua ipsorum vitia neglegentes aliorum vitia nimis quaerunt cf. *Hor. Sat.* II, 3, 299.

Eadem verba, quae apud Persium, leguntur apud *Hor. Sat.* I, 1, 109 et de a. poet. 387.

Jam sequuntur verba, in quibus dirigendi vis inest; ac praepositio „in“ verbis agendi, dirigendi, tendendi ita accedit, ut aut in universum, quo actus tendat, significet, aut directionem in obiectum, quod illo actu quodammodo afficitur, aut intentionem in rem aliquam efficiendam. Quo sensu „in“ legitur in his: 2, 36; 3, 105; 5, 35. 49. 154; 3, 60 cf. *Hor. carm.* II, 16, 17.

Monendum est, ab Hermanno in hoc versu „in quo“ scriptum esse, quae lectio, quamquam in plerisque codd. legitur, improbanda est, nam „in quo“ Latine dici non potest: „in quod“ recte se habet et prudenter a Persio pro vulgari „quo“ dictum est.

Dirigendi vim „in“ prae se fert etiam cum verbis dicendi, videndi, cogitandi copulatum, sicut 1, 67; 5, 96 cf. *Hor. Sat.* I, 9, 9.

Significatione temporali vocabulum „in“ ad denotandum punctum temporis, usque ad quod quid fit, et prope modum adverbialiter dictum legitur 3, 15.

Itemque in adverbii formam concrevit 4, 42 cf. Hor. Ep. II, 2, 97.

Vim causalem induisse videtur „in“ 5, 2.

Insolenter dicitur „ludere in“ 1 127, quo de versu supra.

Similiter 5, 58: ille in Veneram putris; hic „in“ significat (= in Bezug auf). Verbo „putris in Veneram“ homo libidinosus significatur cf. Hor. carm. I, 33, 17.

b) „in“ ablativo iunctum.

Pauca sunt dicenda, nam principalis usus huius praepositionis locali vi artis finibus circumclusus est. Hoc vocabulo exprimitur, aliquam personam vel rem in aliquo spatio esse, versari, perseverare Quo sensu vulgari plerisque locis legitur: Prol. 2; 1, 1 cf. Hor. Sat. I, 1, 106. 1, 6. 53. 81. 105; 2, 51. 69; 3, 34. 72. 74. 107. 113. 1, 8; 104 cf. Hor. Epod. 15, 12; 1, 115 cf. Hor. Sat. II, 1, 77; 2, 15; 4, 33: si figas in cute solem. Eadem constructione invenitur verbum figendi apud Persium 5, 27 et 111 cf. Hor. Ep. I, 16, 64. Cum praepositivne „ad“ constructum legimus „figere“ 4, 28 et cum mero ablativo 3, 80.

Vulgaris praepositionis „in“ significatio invenitur 5, 72. 121. 175; 6, 17, 20. 26. 29. 33. 61.

Restat 5, 117: astutam vapido servas in pectore vulpem; in hoc versu monendum est, Hermannum pro „in pectore“ alteram lectionem „sub pectore“ scripsisse, quo recondita malitia multo vividius et expressius describatur.

Ad denotandum nomen praedicativum usurpatum est „in“ 3, 49 cf. Hor. Sat. II, 6, 1

Pro adverbio ponitur „in“ 3, 30.

Dictione praepositiva vis adverbii augetur 5, 129.

Insolenter dicitur 2, 61: o curvae in terris animae. pro „in terras“ quod expectes et in quibusdam libris exstat; Jahnius et Hermannus codd. auctoritate commoti „in terris“ scripserunt, quod fortius dictum existimaverunt,

Similiter 5, 77.

## Additamentum.

## De arte metrica Persii.

Liceat mihi sub finem huius libelli artem metricam Persii paucis absolvere.

Longam syllabam Persius, ut alii poetae, corripit 1, 108: vide sis, cf. Hor. Epol. 6, 11. Sat. II, 3, 33. 5, 75, 117. Epist. 1, 13, 19.

Ultima syllaba „o“ modo correpta est ut, 1, 112: veto et 5, 133: queo, modo producta ut 1, 45: scribo. 55: amo; 5, 161: iubeo cf. Dillenburger, Q. Horatii Flacci opera omnia. Bonnae p. 368.

Intra 664 versus fere 327 elisiones admisit poeta. Insunt binae elisiones in 54 versibus; maximus elisionum in eodem versu numerus efficitur elisionibus tribus in his 1, 9; 2, 61; 5, 2. 131. 6, 75. Quattuor elisionibus nullus versus deturpatur.

Ad illius hiatus, qui medio in verbo fit, asperitatem removendam primum usi sunt veteres poetae Latini contractione, qualis occurrit 6, 64: deest; 5, 167; 6, 28. 48.

„Mi“ pro „mihi“ apud Persium nusquam legitur, „mihi“ vicies bis occurrit et decies quidem in sexta satira; quater invenitur in Persii satiris „nihil“, sexies „nil“: 1, 83. 111. 122; 3, 84. 108; 5, 19; sexies „nisi“, semel „ni“ 5, 142.

Quater usus est Persius eo synizeseos genere, quo conjugatis e vel u cum i vocali diphthongi ei et ui oriuntur deinde 4, 8 et 5, 143; citreis 1, 53; cui 5, 84.

Eius synizeseos generis, quo sonus tantum, non scriptura verbi mutatur et ad vitandum hiatus i vel u mutantur in consonam, compluria exempla exstant apud Persium 5, 9: tenuia quod vocabulum hoc loco trisyllabum est; item 2, 10: ebulliat; 57: pituita cf. Hor. Sat. II, 2, 76. Ep. I, 1, 108; 5, 121: semiuncia.

Commemorandus est 3, 97, ubi „sepeli“ pro „sepelivi“ positum est.

Hiatus, quem quadragies admisit Vergilius, multo rarius Ovidius, raro Horatius, semel legitur apud Persium

6, 9: Lunai portum, est operae, cognoscite, cives! qui versus depromptus est ex Ennii Annalibus cf. Heinr. p. 164.

Syllabam brevem ante caesuram legitimam produxit Persius his duobus locis

2, 55: hinc illud subiit, auro sacras quod ovato, et

5, 57 hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille.

Versus spondiacos Persius non admisit, nam versus 1, 95: „Appennino“ ex alio carmine depromptus est.

In fine versus vocabulum tetrasyllabum habes 1, 4: Labeonem et 25: caprificus; pentasyllabum 3, 77: centurionum; 5, 112: Mercurialem. 189: centuriones; 6, 11: Pythagoreo.

In ultima versus sede verbum polysyllabum praecedit monosyllabo 1, 111: eritis res. 134: Calliroen do; 2, 54: praetrepidum cor; 5, 68: aliud cras. 74: tesserula far.

Syllaba Graeca et ea brevis longa est apud Persium 2, 52 creterras et 6, 77: Cappadocas.

## Errata.

### Pars II.

- Pag. 6. lin. 21. pro : arce, lege : acre.  
" " " 23. pro : Helione, lege : Helicone.  
" 10 lin. 6. pro : Dilius, lege : Diluis.  
" " " 2. infra pro : Adjectum, lege : Adjectivam.  
" 11. lin. 19. pro : reentitaque, lege : recutitaque.
-